

*in Tb. V. H. p. 044.* Vel quando tanto impetu guttæ ruunt, ut homines interficere dicantur, quod in regione Mexicana contigisse refert *Jonstonus in Thaum: p. 122.* Vel quando contra solitum & consuetum Naturæ morem, rebus, ab aqua diversis, pluit. Et ita sumitur h. l.

§. 8. Vulgari loqvendi consuetudine, pluvix æquipolent imber & nimbus, non philosophicâ; Sic monstrum, ostentum & portentum, eandem, ac prodigium, nonnunquam obtinent significationem; juxta illud *Polyd. Vergilii de prodig: l. 1. p. 100.* Sunt ejusdem ferme Generis (cum prodigiis) *portenta, monstra, ostenta, quia portendunt, monstrant, ostendunt.* *Conf. Cic. L. 1. de Div. 93.* Licet accurate loqvendo, multum ab invicem significatione, Philologis & Criticis distare dicantur.

*Synonymia.  
Pluvia.  
Prodigii.*

§. 9. Pluvia prodigiosa aliquibus dicitur pluvia animata; aliquibus præternaturalis. Sed illa angustior, hæc latior est, ut neutra præcisè prodigiosam, prout hîc sumitur, adæqvæt; ceu ex dicendis patebit.

§. 10. His præmissis, subjungitur huic capiti

## CAP. II.

### TRACTATIO HISTORICA.

§. 1. Duæ hujus tractationis erunt partes, quarum altera in Exemplis hujus pluvix, altera in sententiis Autorum recensendis, occupabitur.

§. 2. Exempla ordinamus, juxta seriem corporum Naturalium, ita quidem, ut ab animalibus incipiamus, & ab his ad viventia & tandem non viventia progrediamur. Illa enim, cum majori admiratione fiant, jure meritoque his præponuntur. Ex pluribus autem in singulis classibus, nonnulla seligemus, quæ, vel ob auctoritatem Scriptorum, fidem præ aliis merebuntur, vel etiam ob raritatem, aliasque circumstantias, observationem. Ubi hoc quoque monendum est, in hac parte, tanquam Historicâ, nos cum Historicis esse locuturos, qui vocibus sæpè in hoc argumento, laxiùs utuntur, ut v. g. id, quod lac aut sanguis, secundum apparentiam magis, quam rei veritatem, est, absolutè

*PARS I.*